



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648


Consideratio CXV. Christus crucifixus thesaurus est inexhaustus bonorum omnium, gratiarum ac benedictionum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

audiit, in dulces lacrymas resoluta statuit, hunc in posterum sequi amorem; unde per omnem vitæ cursum, quoties vel verbulum in concionibus, vel in aliis piis discursibus de cruciatibus ac cruentis Christi vulneribus audivit, magnam lacrymarum vim profudit, atque de nocte surgens, longas ante imaginem Jesu Crucifixi preces ingeminavit; hinc mira & arcana de Crucifixo Domino & Dolorosa Matre ejus scripsit, & mortalitati humanæ in suis Revelationibus reliquit.

S. Theresia V. ubi in tenera adhuc ætate Jesum spinis coronatum, plagatum & crucifixum conspicata est, cui vulneratus Dominus dicebat: *Aspice vulnera mea: non es absque me: pertransi brevitatem vitæ hujus*, mox statuit id quod perfectius esset eligere; unde in posterum solebat dicere: *Aut pati, aut mori*, cujus pura præcordia Seraphinus ignito transverberavit jaculo, quæ Dei & Amoris sui crucifixi æstu extincta, animam suam sub columbæ specie Deo reddidit. Vade purissima anima ad dilectum Sponsum tuum candidum & rubicundum, candidum propter innocentiam, & rubicundum propter passionem, & impetra nobis ab illo veram vitæ emendationem, ac tandem felicem mortem ac sortem.

Ex viii.



CONSIDERATIO CXV.

Christus & hic Crucifixus thesaurus inexhaustus est omnium bonorum, gratiarum ac beneficiorum.

Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ. Num. 20. 6.

I.

IN summa aquarum penuria, ne populus Israel in deserto periret, Moyses dux ac legifer illius à Domino humiliter petiit, ut eis thesaurum aquæ vivæ aperiret; percussit is jubente Domino virgâ bis petram, & egressa sunt aqua largissima. Quærit hic B. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis, quare Moyses aquam illam de petra profluentem thesaurum appellaverit: Nunquid dignum fuit, viles aquas

Num. 20. 6.
B. Petr. Dam.
serm. de Exalt.
s. Cruc.

aquas Dei appellare thesaurum? Et respondet ipse sibi: *Dei thesaurus procul dubio illa aqua fuit, quæ à latere Jesu transfixo cum sanguine continuo exiit, junxitque se manuum ejus ac pedum perforatorum divinis fontibus.* O thesaurum incomparabilem ex petra Crucifixi JESU.

Eccli. 41. 17.

2. Rectè Ecclesiasticus: *Sapientia abscondita & thesaurus invisus, quæ utilitas in utrisque?* Observa: Thesaurus non invenitur, nisi fodiendo. Ecce Salvator tuus spinis confossus, flagellis peraratus, clavis ferreis & lanceâ perfossus est; ille est æterna Patris Sapientia, abscondita quidem ab initio, sed manifestata in cruce per tot ac tanta prodigia, & nunc quæ est utilitas in hoc thesauro, si de illo non participamus? *Ingradere anime mi cum Isaia Propheta, & abscondere in fossa humo, crux tibi index est in ea latentis thesauri: Bonus thesaurus, ait Mellifluus, qui fosso agro corporis Jesu invenitur; Et Doctor Seraphicus: Apertus est thesaurus divina Sapientia & aterna suavitatis, intra Vulverum aperturam, & eum invenies.*

Isa. 2. 10.

Platinus in
Vitis Pontif.

3. Erat quondam Romæ statua ex marmore candido ab artifice statuario perbellè elaborata, cui hæc insculpta verba erant: *Dum sol mense Julio erit in meridie, caput aureum habeo.* Fatigavit hæc inscriptio plures Academicos Romanos, sed frustra omnia. Tandem Romam venit ingeniosus quidam peregrinus, qui inter alias, quas considerabat antiquitates, hanc quoque statuam & inscriptam epigraphem invenit: *Dum sol mense Julio erit in meridie, caput aureum habeo;* Accessit proinde illo mense ad prædictam statuam, & attentè in meridie observavit, in quem locum sol umbram suam projiceret, ubi sine mora incepit fodere, ac thesaurum latentem feliciter invenit, quem caput indigitavit.

Jo. 19. 30.

Christus instar statuæ constans, licet in summis doloribus stabat, & agonizabat in erecta cruce, circa horam autem nonam post meridiem inclinavit caput: *Et inclinato capite tradidit spiritum,* quæ capitis inclinatione ad pectus designavit locum, in quo infiniti valoris thesaurus posset inveniri. Observavit hoc Longinus, & signo accepto accurrebat cum fulminante lancea, & in benedicto agro corporis Jesu crucifixi fodere cœpit, & felicissimè hunc pretiosissimum invenit thesaurum, ex quo ditata est universa Ecclesia Dei. Audi Leonem X. Pontificem Maximum in quadam Bulla dicentem: *O thesaurum infinitum! ô thesaurum incomparabilem, thesaurum nunquam exhaustivum! Una sola gutta ipsius pretiosi sanguinis propter unionem hypostaticam ad Verbum sufficientissima est ad redimendos mille mundos.*

Troyer. de
SS. Euchar.

4. Venerat aliquando Legatus Hispaniarum Regis cum ambizioso apparatu Venetias ad certum grande negotium cum Serenissima illa Republica tractandum. Re peractâ, & optimè transactâ, Veneti dicto Regio Legato in signum veræ stabilitæ amicitiae suum monstrarunt thesau-

thesaurum; subrictis nonnihil, dum Venetorum thesaurum conspicatus est, nimirum plures prægrandes auro & Zechinis impletas cistas, ad quod subjungebat Hispanus: An adhuc thesaurus vester fundum habet? Ita, reponebant illi: *Fundum habet*; sed thesaurus Regis nostri, subjungebat Legatus: *Nullum fundum habet*, quibus verbis alludebat ad aurifodinas, quibus olim abundabat nova inventa Hispania.

O sacratissima Vulnera Christi JESU Crucifixi, vos thesaurus noster estis, in ipsis enim conservantur inestimabilia Salvatoris nostri merita, propter quæ nobis tribuuntur omnia dona supernaturalia gratiæ & gloriæ; & hic thesaurus *fundum non habet*. Agnovit hoc S. Bernhardus Doctor Mellissus & Crucifixi amator Zelosissimus, utpote qui totus in illis erat immersus, hinc de illis scribit ad solatium nostrum: *Ego si- S. Bernhard. denter quidquid mihi deest, usum po ex visceribus Salvatoris, quæ misericordiâ affluunt, serm. 21. in neque desunt foramina, per quæ effluat, per hos canales sanctissimorum foraminum Caat. depluunt ad nos omnes gratia, omnes misericordia, & omnes consolationes cæli, vernant semper in divina præsentia, & in Dei acceptione immensa & infinita merita illorum vulnerum.*

5. In sacro Evangelio regnum cælorum thesauro abscondito comparatur: *Simile est regnum cælorum thesauro abscondito in agro.* Per the- Matth. 13. 44 saurum hunc S. Hieronymus Christum intelligit; Ah quanto bono nos privamus, si thesaurum illum in propatulo positum, & nobis quasi abditum præterimus, & negligimus, neque in fossam illam corporis Domini humum ingredimur, & in ea pia meditatione abscondimur; unde devotissimus Joannes Taulerus ait: *Plurima à Deo nos non impetrare, quia illa per Salvatoris Vulnera postulare negligimus*, de cruce enim immensos gratiarum thesauros distribuit, ac derivat in Ecclesiam Christus. Accede anime mi! En patet gazophylacium Domini JESU, nec major in mundo thesaurus unquam fuit vel esse poterit, attestante Apostolo ad Colossenses 2. 3. quàm in eodem crucifixo JESU: *In Christo JESU sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, & paulò post: *Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; quia DEUS & homo est; ideo etiam corporaliter.

6. De Tribus Magis observat Scriptura, quòd Christo recens nato de apertis thesauris suis mûnera præsentaverint: *Et apertis thesauris suis Math. 2. 11. obtulerunt ei munera, aurum, thus & myrrham.* Per hæc tria munera ex thesauro regio deprompta ipse Christus allegoricè designatus est, qui se ipsum Deo Patri in cruce obtulit ut aurum, ait Cornelius, dum ex aurea charitate & ex amore hominum se ipsum immolavit, & ut myrrham amarissimæ passionis dolorum & tormentorum, atque ut thus summæ religionis, submissionis, venerationis & patriæ. Unde eadem

Ginther Unus pro omnibus.

Iii

feriâ

feriâ sextâ, quâ Christus se obtulit in cruce, Magi quoque hæc tria munera Christo obtulerunt.

Jo. 19. 33.

Progrediamur ulterius. Cùm milites validis malleis, aut vectis ferrei ictibus crura duorum latronum cum Christo crucifixorum ad majus illorum tormentum confregissent, ad Jesum autem cùm venerunt, qui pari modo crurifragium inferre cogitabant, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, *sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit.* Et cur aperuit? Cur non dixit Evangelista percussit, aut vulneravit latus ejus? Quod vulnus lateris sanè ingens fuit, ac tantum, ut manus illi imponi posset, ut patet ex verbis Christi: *Affer manum tuam, & mitte in latus meum.*

Jo. 20. 27.

R. S. Augustinus: *Ut illic quodammodo vita ostium panderetur.* Ecce apertus est thesaurus: *Hæc porta Domini, justi intrabunt in eam.* Et per eam divinum thesaurum invenient. Igitur SS. Vulnere Christi crucifixi sunt Ecclesiæ inexhaustus thesaurus, neque reperiet paupertas nostra aliud remedium, quàm ut divitiis thesauri illius. O sanctissima Vulnere, siquidem per vos, vobiscum, & in vobis sunt omnes meæ divitiæ, omnia mea gratiæ & gloriæ merita; adoro vos, quia deificata.

Vita S. Pij, V.

7. Agnovit hanc veritatem S. Pius V. Pontifex Maximus, qui licet continuis & maximis negotiis, quæ supremam illam Petri cathedram propè obruere solent, distentus esset, horam tamen integram coram Crucifixi Simulacro quotidie in oratione impendit, quâ finitâ semper SS. Vulnere crucifixi Amoris sui demissè exoculari consuevit. Accidit, ut die quodam pro more suo ad hunc SS. Crucifixum accederet, & in rebus gravissimis Ecclesiæ regimen concernentibus hoc Crucifixum Oraculum consuleret: Et ecce dum post terminatas preces & suspiria pedes ejusdem Domini sui devotissimo osculo honorare discipulit, Christus in imagine pedes retrahit. Hic vidisses optimum ac Sanctissimum Pontificem rei novitate prorsus attonitum, summè dolentem, & de negata gratia flebiliter gementem. Verùm paulò post desitit dolor & luctus, ubi comperit, quòd pedes ejusdem Crucifixi in suam perniciem veneno essent infecti. Ecce quomodo Crucifixus Redemptor amatores suos ac cultores in periculis custodire soleat: *Nullum, ait Ludolphus Carthusianus, Christo Domino gratius ab hominibus obsequium exhiberi potest, quam si amarissimam passionem & SS. ejus Vulnere semper memoriâ foveant, & in corde, animòque circumgestent, aterna salutis remedium in illis assidue requirant.* Fac hoc, & vives.

Ludolph. in
vita Chri.
p. 2. c. 58.